



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo

Bynaeus, Anthony

Dordraci, 1682

Futilis Judæorum sententia refellitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12835

376 De CALCEIS HEBRÆOR.

conchæ crescunt, quod quidem non tantum in terrestribus viderimus, verum etiam in marinis, & in cochlea purpurea maxime, quarum incrementum singulis annis per orbes patet, ita ut, cum sex aut septem annos vivat, tot orbes habeat quot annos agit, uti refe-

Arist. Hist. Animal. l. 5. c. 15. Plin. lib. 9. cap. 36. runt Aristoteles & Plinius. Sed quis non videt hoc Rabbinorum esse somnium, qualia multa finguunt nugaces magistri, de quo Horatius diceret

— Credat hoc Iudæus Apella,
Non ego. —

Quis quæso sibi persuadebit, nisi vim faciat suo ingenio, cum pueris & adolescentibus vestes & calceos crevisse, uti cum cochleis conchæ? A vetulis hæc narrari possunt pueris ut eos trahant in admirationem, à viris merito exhibantur. Profecto neminem reperiri arbitror hominem non putidum, qui hæc non damnet modo, sed commenti tam inepti auctores tanquam fatuos & nullius judicij homines irrideat. Ut mirer virum illum Hugonem Grotium has futiles

futiles nænias suis Annotationibus inseruisse. Sed id factum arbitror, non quod vir ille, vere magnus, fidem adhibuerit huic magistrorum figmento, verum ut appareret se hoc non ignorare. Præsertim cum dissentiant ex ipsis Judæorum magistris, qui paulo saniores sunt, quam ut ipsis placeant talia deliramenta. Aben Ezra certe, qui sæpe à vulgaris verporum opinionibus discedit, & aliquando plus veri vedit quam cæteri suæ gentis magistri, censet Judæos ex Ægypto multas vestes, multosque calceos secum tulisse, ita ut nunquam iis defecerint. Cujus sententia, licet non omnino mihi possit probari, cum non sit verisimile tam multos calceos secum ex Ægypto tulisse Judæos ut per quadraginta annos, quibus erraverunt in Arabiæ desertis, nunquam deficerent, tamen ostendit Rabbinum illum celebrem neutiquam abruptum communigenitis opinione fuisse, quæ vult non tantum calceis inditam virtutem incorruptam ut non deterentur, verum etiam ipsos una cum pedibus infantum & puerorum

Aben Ezra
ad Deut.
8. 4.

&

378 De CALCEIS HEBRÆOR.
& adolescentum crevisse uti cum
cochleis conchæ.

VII. Est præterea hoc certissi-
mum , nunquam , nisi cum summa
id exigeret necessitas , à Deo
patrata miracula fuisse. Cum Man-
na de cælo plueret , aut aqua ex
petra profiliret , fame fere con-
ficiebantur Hebræi , & siti pre-
mebantur intolerabili , nihilque
erat in vastis illis Arabiæ desertis
quo famem compescerent , & sitim
sedarent , nisi ipse Deus cibum &
potum extra consuetas naturæ le-
ges præberet. Talis necessitas
nunquam fuit , ut vel de vestimen-
tis vel de calceis tam insigni mi-
raculo Hebræis prospiceret supre-
num Numen. Nam ostendemus ,
ut opinor , clarissime , aliis ratio-
nibus hoc potuisse præstari , ut
non necesse fuerit vel vim incor-
ruptam calceis indere , vel crescen-
di facultatem , ut cum pedibus in-
fantum crescerent , uti cum coch-
leis conchæ. Tum illud quoque
observandum est in summa fame
& siti , Deum famem & sitim non
sedasse nullo cibo & potu , vel cibo ,
quem mittebat de cælo , & potu ,
quem